

MISSÆ PROPRIÆ PRO DICECESI PATAVINA

FESTA DECEMBRIS

DIE 14 DECEMBRIS

S. VENANTII FORTUNATI
EPISCOPI ET CONFESSORIS

Introitus Psal. 88, 20-22

xaltávi eléctum de
plebe mea: óleo san-
cto meo unxi eum;
manus enim mea auxiliábi-
tur ei, et bráchium meum
confortábit eum. Psal. ibid. 1
Misericórdias Dómini in æ-
ternum cantábo. Y. Glória
Patri.

Oratio

Præsta, quæsumus, omni-
potens Deus, ut, sicut
pópulus tuus beáti Antístítis
Venántii Fortunáti temporáli
solemnítate congáudet; ita
perfruátur ætérrna: et, quod
votis célebrat, comprehén-
dat efféctu. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octa-
væ Conceptionis immaculatae.

Oratio

D eus, qui per immaculá-
tam Vírginis Concepti-
onem dignum Fílic tuo habi-
taculum præparásti; quæsu-
mus, ut, qui ex morte ejúsdem
Fílli tui prævisa eam ab omni
labe præservásti, nos quoque
mundos ejus intercessióne ad
te pervenire concédas. (Per
eúmdem Dóminum).

Deinde Commem. Feriæ.
Léctio Epístolæ beáti Pauli
Apóstoli ad Hebræos.

Hebr. 13, 7-17

M ementóte præpositórum
vestrórum, qui vobis
locúti sunt verbum Dei: quo-
rum intuéntes éxitum con-
versatiónis, imitámini fidem.
Jesus Christus heri et hódie,
ipse et in sæcula. Doctrínis
váriis et peregrínis nolite

abdúci. Optimum est enim grátia stabilíre cor, non escis, quæ non profuérunt ambulantibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non ha-bent potestátem, qui taber-náculo desérviunt. Quorum enim animálium infértur san-guis pro peccáto in Sancta per pontíficem, horum córpora cremántur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificáret per suum sán-guinem pópulum, extra por-tam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, im-propérium ejus portántes. Non enim habémus hic ma-néntem civitátem, sed futúram inquirimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam lau-dis semper Deo, id est fructum labiórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiæ au-tem et communiónis nolíte oblívisci: tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Obedíte præpósitis vestris et subja-céte eis: ipsi enim pervígi-lant quasi ratióñem pro ani-mábus vestris redditúri: ut cum gáudio hoc fácient, et non geméntes. Hoc enim non expedit vobis.

Graduale Eccli. 45, 8-9
Dedit illi Dóminus sacerdótium gentis, et beatificávit illum in glória, et circumcínxit eum zona gloriæ, et in-duit eum stolam gloriæ, et coronávit eum in vasis vir-tutis. Y. Act. App. 7, 38 Hic est, qui fuit cum pátribus no-

stris, qui accépit verba vitæ dare nobis.

Allelúja, allelúja. Y. Eccli. 47, 10 De omni corde suo laudávit Dóminum, et diléxit Deum, qui fecit illum, et de-dit illi contra inimícos po-téntiam. Allelúja.

 Sequéntia S. Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 24, 14-23

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre profi-ciscens vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álli autem duo, álli vero unum, unicuíque secúndum pró-priam virtútem, et proféctus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíli-ter et qui duo accéperat, lu-crátus est ália duo. Qui au-tem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam domini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratióñem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: Dó-mine, quinque talénta tradidí-sti mihi, ecce ália quinque su-perlucrátus sum. Ait illi dó-minus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam, intra in gáudium

dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam, intra in gáudium dómini tui.

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium Eccli. 47, 12
Dedit in celebratióibus decus, et ornávit témpora usque ad consummatiónem vitæ, ut laudárent nomen sanctum Dómini.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, obláticas propítius intuére: ut, quod nostris áctibus non merémus; per eum, quem populi tui præsulem constitúisti, indesinénter largiáris. Per Dóminum.

Pro Octava Concept. immac.

Secreta

Salutárem hóstiam, quam in solemnitaté immaculátæ Conceptiónis beátæ Vírginis Mariæ tibi, Dómine, offérimus, súscipe et præsta: ut, sicut illam, tua grátia præveniente, ab omni labe immúinem profitémur, ita ejus intercessióne a culpis ómnibus liberémur. (Per Dóminum).

Deinde Commem. Feriæ.

Præfatio de Octava.

Communio Psal. 26, 6
Immolávi in tabernáculo Dómini hóstiam vociferatiónis:

cantábo, et psalmum dicam Dómino.

Postcommunio

Cælesti pane repléti, te, Dómine, deprecámur: ut trádita a beáto Venántio Fortunáto legis tuæ documénta misericórditer córdibus nostris inscríbas. Per Dóminum.

Pro Octava Concept. immac.

Postcommunio

Sacraménta, quæ súmpsimus, Dómine Deus noster, illius in nobis culpæ vúlnera réparent, a qua immaculátam beátæ Mariæ Conceptiónem singuláriter præservásti. Per Dóminum).

Deinde Commem. Feriæ: et, si occurrat Feria Quatuor Temporum, de ea legitur Evangelium in fine.

FESTA JANUARII

DIE 3 JANUARII

S. DANIELIS

MARTYRIS

PATRONI MIN. CIVIT. ET DIEC.

Introitus Psal. 20, 2-3

S in virtúte tua, Dómine, lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desideriúm ánimæ ejus tribuísti ei. Psal. ibid. 4 Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretioso. **G**. Glória Patri.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus; ut, qui beáti Daniélis Mártyris tui diem festum cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Joannis Ap. et Ev.

Oratio

Ecclésiam tuam, Dómine, benígnus illústra: ut, beáti Joánnis Apóstoli tui et Evangelistæ illumináta doctrínis, ad dona pervéniat sempitérna. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. 10, 10-14

Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fráude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénitum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum: descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant: et mendáces osténdit, qui maculavérunt

illum: et dedit illi claritátem ætérnam, Dóminus Deus noster.

Graduale Psal. 111. 1-2
Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ¶ Potens in terra erit semen ejus: generáatio rectórum benedicétur.

Allelúja, allelúja. ¶ Psal. 20, 4 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretioso. Allelúja.

 Sequéntia S. Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 14. 26-33

In illo témpore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem et uxórem et filios et fratres et soróres, adhuc autem et ániam suam, non potest meus esse discípulus. Et qui non bájulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discípulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens cōputat sumptus, qui necessárii sunt, si hábeat ad perficiéndum, ne, póstea quam posuerit fundaméntum, et non potúerit perficere, omnes, qui vi dent, incípiant illúdere ei, dicéntes: Quia hic homo cœpit ædificare, et non pótuit consummáre? Aut quis rex iturus committere bellum advérsus álium regem, non sedens prius cōgitat, si possit cum decem míllibus occurrere ei,

qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin, adhuc illo longe agente, legationem mittens, roget ea, quae pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.

In ecclesia cathedrali dicitur Credo.

Offertorium Psal. 8, 6-7
Glória et honore coronasti eum: et constituisti eum super opera manuum tuarum, Dómine.

Secreta

Munéribus nostris, quæsumus, Dómine, precibúsque suscéptis: et cælestibus nos munda mystériis, et cleménter exaudi. Per Dóminum.

Pro Octava S. Joannis
Secreta

Súscipe, Dómine, múnera, quæ in ejus tibi solemnitate deférimus, cujus nos confidimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio Matth. 16, 26
Qui vult venire post me, abneget semetípsum: et tollat crucem suam, et sequátur me.

Postcommunio

Da, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, sicut tuorum commemoratiōne Sanctórum temporali gratulámur officio, ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

Pro Octava S. Joannis
Postcommunio

Refecti cibo potuque cælesti, Deus noster, te súpplices deprecámur: ut, in cuius hæc commemoratiōne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

DIE 30 JANUARII

B. ANTONII MANZONI
CONFESSORIS

Introitus Psal. 36, 30-31
 **s** justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquétur iudicium: lex Dei ejus in corde ipsius. Psal. Ibid., 1 Noli æmulari in malignantibus: neque zelaveris facientes iniquitatem. **Y.** Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beatum Antónium Confessorem tuum morum innocéntia et paupertatis amore præstare voluísti: da nobis, ejus exemplo et intercessione; terréna cuncta despícere, et cælestia semper inquirere. Per Dóminum.

Et fit Comm. S. Martinæ Virg. et Mart.

Oratio

Deus, qui, inter cétera portentiae tuæ miracula, etiam in sexu frágili victoriā martyrii contulisti: concéde propitius; ut, qui beatæ Martínæ Vírginis et Mártyris tuæ natalitia cólimus, per ejus ad te exempla gradiámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 31, 8-11

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérrna; qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ídeo stabilítas sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Graduale Psal. 91, 13-14
Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicabitur in domo Dómini.
¶ Ibid., 3 Ad annuntiandum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. ¶ Jac. 1, 12 Beátus vir, qui suffert tentatióñem: quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

Post Septuagesimam, omisiónis Allelúja, et Versu seq., dicitur

Tractus Psal. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ¶ Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ¶ Glória et divítiae in domo ejus: et justitia ejus manet in sǽculum sǽculi.



Sequéntia S. Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 19, 27-29

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestatis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israel. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut filios, aut agros propter nomen meum, céntrum accípiet, et vitam ætérrnam possidébit.

Offertorium Psal. 88, 25
Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratione Sanctórum: quibus nos et præsentibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Pro Commem. S. Martinæ

Secreta

Súscipe, Dómine, múnera, quæ in beatæ Martínæ Vírginis et Mártyris tuæ solemnitáte deférimus: cujus nos confídimus patrocínio libérari. Per Dóminum.

Communio Matth. 24, 46-47 Beatus servus, quem, cum vénérerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua con-stítuet eum.

Postcommunio

Refécti cibo potúque cælé-sti, Deus noster, te súp-plices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percé-pimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Pro Commem. S. Martinæ

Postcommunio

Auxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et, intercedénte beáta Martína Vírgine et Mártyre tua, sempitérna fáciant protectiōne gaudére. Per Dóminum.

FESTA FEBRUARII

DIE 13 FEBRUARII

B. EUSTOCHII

VIRGINIS

Missa Dilexísti, de Com-muni Virginum 3. loco, cum Orationibus ut infra:

Oratio

Omnipotens ætére Deus, qui beátam Eustóchium Vírginem tuam advérsus po-testátes tenebrárum admirá-bili virtúte et invicta pa-tiéntia roborásti: ejus méritis et précibus concéde; ut, ab omni diabólica nequítia liberáti, secúra tibi mente serviámus. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

Secreta

Hujus, quæsumus, Dómine, virtúte mystérii, per quam antíqui hostis vires contrivísti: intercedénte beáta Eustóchio Vírgine tua, cui de illo victóriam contulísti, cunctos a fámulis tuis diabólicos incúrsus repélle. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

Postcommunio

Confírmet nos, Dómine, qua-pasti sumus, mensa cælé-stis: ut, beátæ Eustóchii exém-plis instrúcti et præsidiis adjúti, cuncta nobis adversán-tia vincámus. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, de qua legitur Evangelium in fine.

DIE 15 FEBRUARII

TRANSLATIO

S. ANTONII DE PADUA

CONFESSORIS ET ECCLESIAE DOCTORIS

Missa ut in Festo, die 13 Ju-nii, cum Orationibus ut infra:

Oratio

Deus, qui beátum Antónium Confessórem tuum atque Doctórem exímia miraculó-rum glória decorásti: concé-de propítius; ut, qui ánnuam Translationis ejus memóriam cólimus, ipsíus apud te pa-trocíniis adjuvémur. Per Dó-minum.

Et, in Quadragesima, fit
Commemoratio Feriæ.

Deinde Commemoratio Ss.
Faustini et Jovitæ.

Oratio

Deus, qui nos ánnua san-
ctórum Mártyrum tuórum
Faustíni et Jovítæ solemni-
tate lætíficas: concéde pro-
pítius; ut, quorum gaudémus
méritis, accendámur exémplis.
Per Dóminum.

Secreta

Præsens oblátio fiat, Dómi-
ne, pópulo tuo salutáris:
pro quo dignátus es Patri tuo
te vivéntem hóstiam immo-
láre: Qui cum eódem Deo
Patre et Spíritu Sancto vivis
et regnas Deus, per ómnia.

Et, in Quadragesima, fit
Commemoratio Feriæ.

Pro Ss. Martyribus

Secreta

Adésto, Dómine, supplica-
tióibus nostris, quas in
Sanctórum tuórum com-
memoratióne deférimus: ut, qui
nostræ justítiae fidúciam non
habémus, eórum, qui tibi
placuérunt, méritis adjuvé-
mur. Per Dóminum.

Postcommunio

Divínis, Dómine, munéribus
satiáti: quæsumus; ut, beáti
Antónii Confessóris tui atque
Doctóris méritis gloriósis, sa-
lutáris víctimæ desiderátum
sentiámus efféctum. Per Dó-
mīnum.

Et, in Quadragesima, fit
Commemoratio Feriæ, de qua
legitur Evangelium in fine.
Pro Ss. Martyribus

Postcommunio

Quæsumus, Dómine, salu-
táribus repléti mystériis:
ut, quorum solémnia celebrá-
mus, eórum oratióibus adju-
vémur. Per Dóminum.

DIE 17 FEBRUARII

B. LUCAE BELLUDI CONFESSORIS

Missa Os justi, de Commu-
ni Confessoris non Pontif-
cis 1. loco, præter Orationem
sequentem:

Oratio

Deus, qui sancto António
Confessóri tuo beátum
Lucam et sócium et imita-
tórem adjunxísti: da nobis
utriúsque intervéntu, ambó-
rum ita sequi vestígia, ut
assequámur et præmia. Per
Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit
Commemoratio Feriæ.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias
immolámus in tuórum
commemoratióne Sanctórum:
quibus nos et præsentibus
éxui malis confidimus, et fu-
túris. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit
Commemoratio Feriæ.

Postcommunio

Refécti cibo, potúque cælé-
sti, Deus noster, te súpli-

ces exorámus: ut, in cuius hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, de qua legitur Evangelium in fine.

FESTA MARTII
DIE 1 MARTII

B. JOANNÆ M. BONOMO
VIRGINIS

Missa Dilexísti, de Communi Virginum 3. loco, cum Orationibus ut infra:

Oratio

Dómine Jesu Christe, virtutum ómnium exémplar et præmium, qui beátam Joánnam Mariám Vírginem tuam admirábili patiéntia prónominis tui amóre decorásti: da populo tuo, ejus solémnia celebránti, ita sequi vestígia; ut assequátur et præmia. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

Secreta

Placiatiónis hóstia, quam tibi offérimus, Dómine, intercedénte beáta Joánná María, optátæ nobis patiéntiæ plenitúdinem largiátur. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

Postcommunio

Præsta nobis, omnípotens Deus, ut, qui in honórem beátæ Joánnæ Mariæ cælestia aliménta percépimus: per ejus vestígia gradiéntes, carne mortificáti, facilius ad te pervenire valeámus. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, de qua legitur Evangelium in fine.

FESTA MAJI
DIE 10 MAJI

B. BEATRICIS ESTENSIS
VIRGINIS

Missa Dilexísti, de Communi Virginum 3. loco. cum Orationibus ut infra.

Oratio

Dómine Jesu, qui beátam Beatricem Vírginem, tuo amóre succénsam, mundi délices despícere et toto corde tibi humíliter servíre fecísti: concéde propítius; ut, cujus festivitaté tem recólimus, virtutum quoque imitémur exémplo: Qui vivis et regnas.

Et fit Commemoratio S.
Antonini Ep. et Conf.

Oratio

Sancti Antoníni, Dómine,
Confessóris tui atque Pon-
tíficis méritis adjuvémur: ut,
sicut te in illo mirábilem
prædicámus, ita in nos mise-
ricórdem fuísse gloriémur.
(Per Dóminum).

Deinde Comm. Ss. Gordiani
et Epimachi Mm.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens
Deus: ut, qui beatórum
Mártirum tuórum Gordiáni
et Epímachi solémnia cóli-
mus, eórum apud te inter-
cessiónibus adjuvémur. Per
Dóminum.

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine,
A sacratæ plebis oblátio pro
tuórum honóre Sanctórum:
quorum se méritis de tribu-
latiōne percepísse cognóscit
auxílium. Per Dóminum.

Pro S. Antonino

Secreta

Sancti tui, quæsumus, Dó-
mine, nos ubique lætífí-
cent: ut, dum eorum mérita
recólimus, patrocínia sentiá-
mus. (Per Dóminum).

Pro Ss. Martyribus
Secreta

Hóstias tibi, Dómine, bea-
tórum Mártirum tuórum
Gordiáni et Epímachi dicátas
méritis, benígnus assúme: et
ad perpétuum nobis tríbue
proveníre subsídium. Per Dó-
minum.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam
tuam munéribus sacris:
ejus, quæsumus, semper in-
terventiōne nos réfove, cuius
solémnia celebrámus. Per Dó-
minum.

Pro S. Antonino

Postcommunio

Dræsta, quæsumus, omnipo-
tent Deus: ut, de percé-
ptis munéribus grátias exhi-
bentes, intercedénte béato
Antoníno Confessóre tuo at-
que Pontífice, benefícia po-
tióra sumámus. (Per Dó-
minum).

Pro Ss. Martyribus

Postcommunio

Ouæsumus, omnípotens
Deus: ut, qui cælestia
aliménta percépimus, interce-
déntibus sanctis Martyribus
tuis Gordiáno et Epímacho,
per hæc contra ómnia advérsa-
muniámur. Per Dóminum.

FESTA JUNII

DIE 13 JUNII

S. ANTONII DE PADUA

CONFESSORIS PATRONI PRINC. CIVIT. ET DICEC. ET ECCL. DOCTORIS

Introitus Eccli. 15. 5

Sn m é d i o E c c l é s i à e a p é -
r u i t o s e j u s : e t i m -
p l é v i t e u m D ó m i n u s
s p í r i t u s a p í e n t i à e e t i n t e l l é -
c t u s : s t o l a m g l ó r i à e i ñ d u i t
e u m . P s a l . 9 1 , 2 B o n u m e s t
c o n f i t é r i D ó m i n o : e t p s á l l e r e
n ó m i n i t u o , A l t í s s i m e . Y . G l ó -
r i a P a t r i .

Oratio

Ecclésiam tuam, Deus, beáti
Antónii Confessóris tui
atque Doctóris solémnitas
(commemoráto) votiva lætí-
ficit: ut spirituálibus semper
muniáatur auxíliis; et gáudiis
pérfrui mereáatur ætérnis. Per
Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. 7, 7-15

Optávi, et datus est mihi
sensus: et invocávi, et
venit in me spíritus sapién-
tiæ: et præpósui illam regnis
et sédibus, et cívítias nihil
esse duxi in comparatióne
illius. Nec comparávi illi lá-
pidem pretiósū: quóniam
omne aurum in comparatióne
illius aréna est exígua, et
tamquam lutum æstimaþbitur

argéntum in conspéctu illius.
Super salútem et spéciem di-
léxi illam, et propósui pro
luce habére illam: quóniam
inexstinguíbile est lumen il-
lius. Venérunt autem mihi
ómnia bona páriter cum illa,
et innumerábilis bonéstas per
manus illius, et letátus sum
in ómnibus: quóniam ante-
cedébat me ista sapiéntia, et
ignorábam, quóniam horum
ómniū mater est. Quam
sine fictiōne dí dici, et sine
invídia commúnico, et hone-
státem illius non absconde.
Infinítus enim thesáurus est
homínibus: quo qui usi sunt,
partícipes facti sunt amicítiae
Dei, propter disciplinæ dona
commendáti. Mihi autem de-
dit Deus dícere ex senténtia,
et præsúmere digna horum,
quæ mihi dantur: quóniam
ipse sapiéntiæ dux est, et
sapiéntium emendátor.

Graduale Psal. 36. 30-31
Os justi meditábitur sapién-
tiā: et lingua ejus loquétur
judícum. Y. Lex Dei ejus in
corde ipsíus: et non sup-
plantabúntur gressus ejus.

Allelúja, allelúja. Y. Prov.
10, 20-21 Argéntum eléctum


lingua justi, et lábia illíus erúdiunt plúrimos. Allelúja.

Post Septuagesimam, tam in Missa Translationis, quam in Missis votivis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Psal. 111, 1-3 Beatus vir, qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. ¶ Potens in terra erit semen ejus : generáatio rectórum benedicétur. ¶ Glória et divítiae in domo ejus : et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et dicitur :

Allelúja, allelúja. ¶ Prov. 10, 20-21 Argéntum eléctum lingua justi, et lábia illíus erúdiunt plúrimos. Allelúja. ¶ Osee 14, 6 Justus germinábit sicut lílum, et florébit in æténum ante Dóminum. Allelúja.

 Sequéntia S. Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 5, 13-19

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscondi supra montem pósita. Neque accéndunt lucernam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus, qui

in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolíte putáre, quóniam veni sólvere legem, aut prophétas : non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis, donec tránseat cælum et terra, iota unum, aut unus apex non præteríbit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, míminus vocábitur in regno cælórūm : qui autem fécerit, et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cælórūm.

Credo.

Offertorium Psal. 88, 25 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso : et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Præsens oblátio fiat, Dómine, pôpulo tuo salutáris : pro quo dignátus es Patri tuo te vivéntem hóstiam immolare : Qui cum eódem Deo Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

Communio Matth. 25, 20-21 Dómine, quinque talénta tradidísti mihi : ecce ália quinque superlucrátus sum. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constitúam : intra in gáudium Dómini tui.

Postcommunio

Divinis, Dómine, munéribus
satiáti; quæsumus: ut, beá-
ti Antónii Confessóris tui
atque Doctóris méritis glo-
riosis, salutáris víctimæ de-
siderátum sentiámus effé-
ctum. Per Dóminum.

DIE 18 JUNII

B. GREGORII BARBADICI

EPISCOPI ET CONFESSORIS

Missa Státuit, de Communi
Confessoris Pontificis 1. loco,
cum Orationibus ut infra:

Oratio

Deus, qui beátum Gregó-
rium Confessórem tuum
atque Pontíficem pastoráli
sollicitúdine, et páuperum mi-
seratióne claréscere voluísti:
concéde propítius; ut, cujus
mérita celebrámus, caritatis
imitémur exémpla. Per Dó-
minum.

Et fit Commemoratio S.
Ephræm Conf. et Doct.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam
beáti Ephræm Confessóris
tui et Doctóris mira erudi-
tióne et præcláris vitæ mé-
ritis illustráre voluísti: te
súpplices exorámus; ut, ipso
intercedénte, eam advérsus
erróris et pravitatis insídias
perénni tua virtúte deléndas.
(Per Dóminum).

Deinde Commem. Octavæ
S. Antonii.

Oratio

Ecclésiam tuam, Deus, beáti
Antónii Confessóris tui
atque Doctóris solémnitas vo-
tíva lætíficit: ut spirituáli-
bus semper muniátur auxí-
liis, et gáudiis pérfrui me-
réatur ætérnis.

Postea Comm. Ss. Marci
et Marcelliani Mn.

Oratio

Præsta, quæsumus, omni-
potens Deus: ut, qui san-
ctórum Mártyrum tuórum
Marci et Marcelliáni natalítia
cólimus; a cunctis malis im-
minéntibus, eórum interces-
sionibus, liberémur. Per Dó-
minum.

Secreta

Obláta tibi, Dómine, sacri-
dona mystérii, beáti Gre-
górii méritis ac suffrágiis,
accépta reddántur, et plenum
operéntur in nobis divinæ
virtutis efféctum. Per Dó-
minum.

Pro S. Ephræm

Secreta

Sancti Ephræm Confessóris
tui atque Doctóris nobis,
Dómine, pia non desit orátio:
quæ et múnera nostra con-
ciliét, et tuam nobis indul-
gentiam semper obtíneat.
(Per Dóminum).

Pro Octava S. Antonii

Secreta

Præsens oblatio fiat, Dómine, populo tuo salutáris: pro quo dignátus es Patri tuo te vivéntem hóstiam immoláre.

Pro Ss. Martyribus

Secreta

Múnera tibi, Dómine, dícata sanctífica: et, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Marco et Marcelliano, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Postcommunio

Quæsumus, omnípotens Deus: ut, sicut beato Gregorio Confessóri tuo atque Pontífici divíni Pastóris formam imitári tribuísti; ita nos, ejus imitatióne, dignos effícias, qui inter oves páscuæ tuæ perpétuo collocémur. Per Dóminum.

Pro S. Ephræm

Postcommunio

Ut nobis, Dómine, tua sacrificia dent salútem: beátus Ephræm Confessor tuus et Doctor egrégius, quæsumus, precátor accédat. (Per Dóminum).

Pro Octava S. Antonii

Postcommunio

Divínis, Dómine, munéribus satiáti; quæsumus: ut,

beáti Antónii Confessóris tui atque Doctóris méritis gloriósis, salutáris víctimæ desiderátum sentiámus efféctum.

Pro Ss. Martyribus

Postcommunio

Salutáris tui, Dómine, múnere satiáti, súpplices exorámus: ut, cujus lætamur gustu, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Marco et Marcelliano, renovémur efféctu. Per Dóminum.

FESTA JULII

DIE 30 JULII

S. MAXIMI
EPISCOPI ET CONFESSORIS

Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis l. loco. cum Orationibus ut infra:

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Máximi Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et scíútem. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Abdon et Sennen Mm.

Oratio

Deus, qui sanctis tuis Abdon et Sennen ad hanc glóriam veniéndi copiósum munus grátiae contulisti: da fámulis tuis suórum véniaci

peccatórum; ut, Sanctórum tuórum intercedéntibus méritis, ab ómnibus mereántur adversitátibus liberári. Per Dóminum.

Secreta

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubíque lætífacent: ut, dum eórum mérita rccólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Pro Ss. Abdon et Sennen

Secreta

Hæc hóstia, quæsumus, Dómine, quam sanctórum Mártyrum tuórum natalítia recenséntes offérimus: et víncula nostræ pravitatis absolvat, et tuæ nobis misericórdiæ dona concílet. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Máximo Confessóre tuo atque Pontífice beneficia potiéra sumámus. Per Dóminum.

Pro Ss. Abdon et Sennen

Postcommunio

Per hujus, Dómine, operatióñem mystérii, et vícia nostra purgéntur: et, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Abdon et Sennen, justa desidéria compleántur. Per Dóminum.

FESTA AUGUSTI

DIE 13 AUGUSTI

B. JORDANI FORZATÈ

ABBATIS

Missa Os justi, de Communi Abbatum, cum Orationibus ut infra:

Oratio

Deus, supérni lúminis áuctor et innocéntiæ restitútor, qui beátum Jordánum Abbátem ad obsisténdum Ecclésiæ tuæ hóstibus, et ad monásticam vitam instaurándam invícta constántia roborásti: ipso intercedénte, concéde; ut errántium corda resipíscant, et qui tibi famulántur, in sancto propósito persevérant. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Hippolyti et Cassiani Mm.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beatórum Mártyrum tuórum Hippólyti et Cassiáni veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Secreta

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Jordánus Abbas, quæsumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum.

Pro Ss. Hippolyto et
Cassiano

Secreta

Réspice, Dómine, múnera
pópuli tui; Sanctórum fe-
stivitáte votíva: et tuæ testi-
ficátió veritátis nobis proficiat
ad salútem. Per Dóminum.

— Postcommunio —

Prótegat nos, Dómine, cum
tui perceptione sacra-
ménti beátus Jordánus Abbas,
pro nobis intercedéndo: ut
et conversatióne ejus expe-
riámur insígnia, et interces-
siónis percipiámus suffrágia.
Per Dóminum.

Pro Ss. Hippolyto et
Cassiano

Postcommunio

Sacramentórum tuórum,
Dómine, commúnio sum-
pta nos salvet: et in tuæ
veritátis luce confírmet. Per
Dóminum.

DIE 25 AUGUSTI

IN DEDICATIONE

BASILICÆ CATHEDRALIS

Missa Terríbilis, de Com-
muni Dedicationis Ecclesiæ.

Et, in Missis privatis tan-
tum, fit Comm. S. Ludovici
Regis Conf.

FESTA OCTOBRIS

DIE 7 OCTOBRIS

S. JUSTINÆ

VIRGINIS ET MARTYRIS

PATRONÆ MIN. PRINC. CIV. ET DICEC.

Missa Loquébar, de Com-
muni Virginum 1. loco.

Et, in Missis privatis tan-
tum, fit Comm. S. Marci
Papæ et Conf.; deinde Ss.
Sergii, Bacchi, Marcelli et
Apuleji Mm.

Dicitur Credo.

Dicitur Præfatio Aposto-
lorum, quando facta sit Com-
memoratio S. Marci Papæ.

DIE 12 OCTOBRIS

IN DEDICATIONE

Omnium Ecclesiarum
in Dicæc. Consecratarum

Missa Terríbilis, de Com-
muni Dedicationis Ecclesiæ.

FESTA NOVEMBRIS

DIE 5 NOVEMBERIS

SS. RELIQUIARUM

QUÆ IN ECCLESIIS DICÆC.

ASSERVANTUR

Introitus Psal. 33-20-21

 ultæ tribulatiónes ju-
storum, et de his
omnibus liberávit eos
Dóminus: Dóminus custódit
ómnia ossa eórum: unum

ex his non conterétur. Psal. ibid., 2 Benedícam Dóminum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo. ¶ Glória Patri.

Oratio

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris et fac nos immortális glóriæ partícipes; cujus in eórum cinéribus pignora venerámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Oct. Omn. Sanctorum.

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, qui nos ómniū Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári: quæsumus; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicatis intercessóribus, largíaris. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 44, 10-15

Hi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: cum sémine eórum pémanent bona, heréditas sancta nepótes eórum, et intestaméntis stetit semen eórum; et filii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum et glória eórum non derelinquéatur. Córpora ipsórum in pace sepulta sunt, et nomen eórum

vivit in generatióne et generatióne. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núnctiet Ecclésia.

Graduale Psal. 149, 5 et 1
Exsultábunt sancti in glória: lætabúntur in cubílibus suis.
¶ Cantáte Dómino canticum novum: laus ejus in ecclésia sanctórum.

¶ Allelúa, allelúa. ¶ Psal. 67, 4 Justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætitia. Allelúa.

 Sequéntia sancti Evangelii secúndum Lucam.

Luc. 6, 17-23

In illo tempore: Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiosa plebis ab omni Iudæa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis, qui vénérant, ut audírent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tágere: quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes. Et ipse, elevátis óculis in discípulos suos, dicébat: Beáti páuperes: quia vestrum est regnum Dei. Beáti, qui nunc esurítis: quia saturabímini. Beáti, qui nunc fletis: quia ridébitis. Beáti éritis, cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos,

et exprobráverint, et ejécent nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis. Gaudéte in illa die et exsultáte: ecce enim merces vestra multa est in cælo.

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium Psal. 67, 36
Mirabilis Deus in sanctis suis: Deus Israel ipse dabit virtútem et fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus, alleluja.

Secreta

Implorámus, Dómine, clementiam tuam: ut, Sanctórum tuórum, quorum Relíquias venerámur, suffragántibus méritis, hóstia, quam offérimus, nostrórum sit expiatio delictórum. Per Dóminum.

Pro Oct. Omn. Sanctorum
Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro cunctórum tibi grata sint honore justorum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Communio Psal. 32, 1
Gaudéte, jústi, in Dómino: rectos decet collaudátio.

Postcommunio

Multíplica super nos, quæsumus, Dómine, per hæc sancta, quæ súmpsimus, misericórdiam tuam: ut, sicut in tuórum solemnítate Sanctórum, quorum Relíquias

cólimus, pia devotióne lætamur; ita eórum perpétua societáte, te largiénte, fruámur. Per Dóminum.

Pro Oct. Omn. Sanctorum
Postcommunio

Da, quæsumus, Dómine, fidélibus pópolis ómnium Sanctórum semper veneratióne lætári: et eórum perpétua supplicatióne muníri. Per Dóminum.

DIE 6 NOVEMBRIS

B. HELENÆ ENSELMINI
VIRGINIS

Missa Dilexísti, de Communi Virginum 3 loco, cum Orationibus ut infra:

Oratio

Deus, recte valéntium et ægrotántium salus, qui beátam Hélenam Vírginem tuam mira in morbis fortitudine morúmque innocéntia decorásti: ejus nobis intercessiōne concéde; ut, ægritúdines et advérsa patiénter tolerántes, mortális vitæ emendatióнем et ætérnæ salútem consequámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Oct.
Omn. Sanctorum.

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte

venerári: quæsumus; ut de-siderátam nobis tuæ propi-tiatiónis abundántiam, multi-plicátis intercessóribus, lar-giáris. Per Dóminum.

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, a sacratæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribu-latióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Pro Oct. Omn. Sanctorum

Secreta

Múnera tibi, Dómine, no-nstræ devotiónis offérimus: quæ et pro cunctórum tibi grata sint honóre justó-

rum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dó-minum.

— Postcommunio —

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper in-terventiόne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dó-minum.

Pro Oct. Omn. Sanctorum

Postcommunio

Da, quæsumus, Dómine, fi-délibus pópulis ómnium Sanctórum semper venera-tiόne lètari: et eórum per-pétua supplicatiόne muníri. Per Dóminum.

*
DIE 7 NOVEMBRIS

S. PROSDOCIMI

EPISCOPI ET CONFESS. PATRONI PRINC. CIVIT. ET DICEC.

Introitus

Is. 52, 7

 uam pulcri super mon-tes pedes annuntiántis et prædicántis pacem: annuntiántis bonum et præ-dicántis salútem, dicéntis Sion: Regnabit Deus tuus. Psal. 8, 1 Dómine, Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra. V. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui nos beáti Pros-dócimi Confessóris tui atque Pontíficis ministério

ad agnitióinem tui sancti nó-minis vocáre dignátus es: concéde propítius; ut, cujus solémnia cólimus, etiam pa-trocínia sentiámus. Per Dó-minum.

Léctio Actuum Apostolórum.

Act. 10, 27-35

In diébus illis: Petrus in-trávit, et invénit multos, qui convénerant. Dixítque ad illos: Vos scitis, quómodo abominátum sit viro Judæo conjúngi aut accédere ad alie-nígenam: sed mihi osténdit

Deus, néminem communem aut immundum dicere hominem. Propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo, quam ob causam accersistis me? Et Cornélius ait: A nudiusquarta die usque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea, et ecce vir stetit ante me in veste candida, et ait: Corneli, exaudita est oratio tua, et eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei. Mitte ergo in Joppen et accersi Simónem, qui cognominatur Petrus: hic hospitatur in domo Simónis coriárii juxta mare. Confestim ergo misi ad te: et tu bene fecisti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus audire omnia, quæcumque tibi præcepta sunt a Domino. Apériens autem Petrus os suum, dixit: In veritate cōperi, quia non est personarum accéptor Deus: sed in omni gente, qui timet eum et operatur justitiam, accéptus est illi.

Graduale Psal. 79, 15-18
Deus virtutum, convertere:
rēspice de cælo, et vide, et
visita vineam istam. ¶ Et
périfice eam, quam plantavit
dexterā tua, et super filium
hominis, quem confirmasti
tibi.

Alleluja, alleluja. ¶ Psal.
125, 6 Eúntes ibant et flebant,
mittentes sémina sua. Ve-

niéntes autem vénient cum
exsultatione, portantes ma-
nículos suos. Alleluja.

In Missis votivis post Se-
ptuagesimam, omissis Alle-
luja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 111, 1-3 Reátus
vir, qui timet Dóminum: in
mandatis ejus cupit nimis.
¶ Potens in terra erit semen
ejus: generatio rectorum be-
nedicetur. ¶ Glória et divi-
tiae in domo ejus: et justitia
ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali omittitur
Graduale, et ejus loco
dicitur:

Alleluja, alleluja. ¶ Ps.
125, 6 Eúntes ibant et fle-
bant, mittentes sémina sua.
Veniéntes autem vénient cum
exsultatione, portantes ma-
nículos suos. Alleluja. ¶
Eccli. 45, 9 Amávit eum Dó-
minus et ornávit eum: sto-
lam gloriæ induit eum.
Alleluja.

 Sequentia S. Evangélīi
secundum Matthæum.

Matth. 9, 35-38 : 10, 1

In illo tempore: Circuibat
Iesus omnes civitates et
castella, docens in synagogis
eorum et prædicans evangé-
lium regni, et curans omnem
languorem et omnem infir-
mitatem. Videns autem turbas,
misertus est eis: quia erant
vexati, et jacentes sicut oves
non habentes pastorem. Tunc

dicit discípulis suis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Et, convocátis duódecim discípulis suis, dedit illis potestátem spirítuum immundórum, ut ejícerent eos, et curárent omnem languórem et omnem infirmitátem.

Credo.

Offertorium Psal. 88, 25
Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Ad mensam dulcíssimi cónvívii tui, pie Dómine Jesu Christe, accédere contremiscéntes, quæsumus: ut, beáto Prosdócimo Confessóre tuo atque Pontífice pro nobis intercedénte, te fontem misericórdiæ sentiámus: Qui vi-vis et regnas.

Communio Psal. 70, 17-18
Deus, docuísti me a juventúte mea, et usque nunc pronuntiábo mirabília tua: et usque in senéctam et sénium, Deus, ne dorelinquas me.

Postcommunio

Repléti, Dómine, spirituálibus alimóniis te humíliter deprecámur: ut fides tua, quam beáti Prosdócimi Confessóris tui atque Pontíficis nos ministério docuísti: fir-

ma et íntegra, bonísque in dies opéribus aucta in nobis persevéret. Per Dóminum.

DIE 16 NOVEMBRIS

S. FIDENTII

EPISCOPI ET CONFESSORIS

Missá Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. 2. loco, cum Orationibꝫ ut infra:

Oratio

Exáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Fidéntii Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Gertrudis Virg.

Oratio

Deus, qui in corde beátæ Gertrúdis Vírginis jucúndam tibi mansiónem præparásti: ipsíus méritis et intercessióne, cordis nostri máculas cleménter abstérge, et ejúsdem tríbue gaudére consórtio. Per Dóminum.

Secreta

Sancti Fidéntii Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus, Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc

piæ placatiōnis offīcia, et il-lum beāta retribūtio comitē-tur, et nobis grātiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Pro S. Gertrude

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, A sacratæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum; quorum se méritis de tribula-tiōne percepísse cognóscit au-xílum. Per Dóminum.

— Postcommunio —

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti Fidéntii Confessóris tui atque Pontíficis, cujus vene-rándam celebrámus festivitá-tem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Pro S. Gertrude

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacrís: ejus, quæsumus, semper in-terventiōne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dó-minum.

DIE 26 NOVEMBRIS

S. BELLINI

EPISCOPI ET MARTYRIS

Missa Sacerdótes Dei, de Comm. unius Martyris 2. loco, cum Orationibus ut infra:

Oratio

Deus, qui nos beáti Bellini Mártiris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte læ-

tíficas: concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectione gaudeámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Silvestri Abb.

Oratio

Clementíssime Deus, qui sanctum Silvéstrum Ab-bátem, sæculi huius vanitátem in apérto túmulo pie medi-tántem, ad erémum vocare, et præcláris vitæ méritis decorare dignátus es: te súp-plices exorámus; ut, ejus exémplo terréna despiciéntes, tui consórtio perfruámur æ-térno. (Per Dóminum).

Deinde Comm. S. Petri Alex. Ep. et Mart.

Oratio

Infirmitátem nostram réspi-ce, omnípotens Deus: et, quia pondus própriæ actiōnis gravat, beáti Petri Mártiris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, di-cáta sanctífica: et, intercedénte beáto Bellino Mártire tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Pro S. Silvestro

Secreta

Quæsumus, Dómine: ut, dum haec múnera divínæ

majestáti tuæ reverénter of-
férimus; pia mentis præpa-
ratióne et cordis puritáte,
beáti Silvéstri Abbátis imita-
tóres effécti, corpus et sán-
guinem Fílli tui sancte per-
cípere mereámur: (Qui te-
cum).

Pro S. Petro

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beáti
Petri Mártyris tui atque
Pontíficis dicátas méritis be-
nignus assúme: et ad perpé-
tuum nobis tríbue proveníre
subsídium. Per Dóminum.

— Postcommunio —

Hæc nos commúnio, Dó-
mine, purget a crímine:
et, intercedénte beáto Bellíno
Mártyre tuo atque Pontífice,

cæléstis reniéddii fáciat esse
consórtes. Per Dóminum.

Pro S. Silvestro


Postcommunio

Divína dape reféctis tríbue,
quæsumus, Dómine: san-
cti Silvéstri Abbátis vestígii
ita inhærére; ut copiósam
mercédem in regno glóriæ
tuæ cum Sanctis habeámus.
(Per Dóminum).

Pro S. Petro

Postcommunio

Refécti participatióne mís-
seris sacri, quæsumus,
Dómine Deus noster: ut, eujus
exéquimur cultum, interce-
dénte beáto Petro Mártyre
tuo atque Pontífice, sentiámus
efféctum. Per Dóminum.



Concordat et nihil obstat

Patavii, 1 Jun. 1950

J. FABRIS, *Ceremoniarum Magister*

Reimprimatur

Patavii, 2 Jun. 1950

† H!ERONYMUS EPISCOPUS